COMPENDIUM

VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM

TUM ETIAM

ACTORUM IN CAUSA

CANONIZATIONIS

BEATI BENEDICTI

A SANCTO PHILADELPHIO

Laici Professi de sacra Fratrum Minorum
S. FRANCISCI Familia

Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum





ROMÆ MDCCCVII.

Apud Lazarinum Rev. Cam. Apost. Typographum

BENEDICTUS a corporis nigritie cognomento *Maurus* vulgo appellatus, natus est in oppido SANCTI PHILADELPHII Messanensis Diœceseos in Sicilia anno Domini circiter millesimo quingentesimo vigesimo quarto. Parentes habuit ex legitimo matrimonio Christophorum, & Dianam Manasserios, origine illos quidem Æthiopes, & servos etiam divitis cujusdam nomine Vincentii Manasserii; sed tamen cum pietate, & Catholicæ Religionis studio, tum præcipue in egenos benignitate valde commendatos. At ipse liber ab ortu; siquidem herus parentibus jam ante spoponderat, se primam eorum prolem libertate donaturum. Lustralibus aquis ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritu tempestive ablutus, ac BENEDICTI nomine appellatus, mox sacro Chrismate fuit inunctus. Cum vero & animam bonam, & eos sortitus esset parentes, qui tum verbo, tum exemplo vel ab ipso vitæ diluculo ad timorem, & disciplinam Domini eum educandum curarent, virtutis cujusque semina pene ab ubere hausisse visus est, adeo ut vix puerulus satis ostenderit, qui, quantusque futurus esset in tempore. Nihil enim unquam in ipso nec puerile, nec quod iram, indignationemque vel minimum redoleret; sed ab puerorum ludis, omnique oblectamentis plane abhorrens, lenis præterea semper, & in singulos

 quos-

quosque admodum benignus, id unum animo contendebat, ut pietatem coleret, orationi instaret, & quanta maxima posset sui in Deiparam Virginem amoris, & venerationis indicia exhiberet. Ut porro per ætatem licuit, piis suadentibus, exemploque etiam prælucentibus parentibus, statim ad Pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedere, & cælesti sæpe recreari convivio, simul jejuniis, ciliciis, flagellis corpus afflictare. Neque ex incepto vitæ instituto quidquam omnino remisit, cum jam grandior natu patris artem exercuit, agros scilicet coluit, & duxit armenta.

At duodevicesimo, seu, ut alii malunt, vicesimo secundo ætatis anno ad durius vitæ genus ab Deo fuit vocatus. Erat tunc temporis, anno videlicet millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Hieronymus Lanza, vir cum generis nobilitate conspicuus, tum multo magis virtutis laude præstans, qui Sancti Francisci institutis jam devinctus, s. m. Julio III. rite dein comprobante, quartum perpetui quadragesimalis cibi, & trium in hebdomada feriarum esurialium, vitæque solitariæ votum susceperat; quique parens præterea, ac Præses erat eorum omnium, qui eamdem vitæ rationem professi, una secum commorabantur in sanctæ Dominicæ eremo in agro Coroneæ ab SANCTI PHILADELPHII oppido quatuor, aut quinque millia passuum. Hic porro cum BENEDICTUM æquo animo, serenaque etiam fronte sociorum irrisiones, ac dicteria excipientem aliquando respexisset, tantam adolescentis virtu-

tem

tem demiratus constitit, socios redarguit, & BENEDICTUM hero commendans, eum religiosæ vitæ disciplinam cito amplexurum esse prænuntiavit.

Tum enimvero BENEDICTUS, cum vehementius in dies exoptaret se totum Dei cultui devovere, prolixior, ac ferventior in precibus, durius etiam corpus tractare, ut divina sibi innotesceret voluntas, cui usquequaque obsequi jam animo proposuerat. Neque vero Deus eum ancipitem, incertumque diu hærere passus est; siquidem haud ita multis post diebus, cum ipse boves, & armenta pastum propelleret, adstitit ei iterum Hieronymus, qui eum intentis oculis intuitus, instinctu sane divino: *Quid*, inquit, *agis hic*, *BENEDICTE*? *Agedum vende boves istos*, *& una mecum veni in solitudinem*. Nulla interposita mora, BENEDICTUS hominis vocem Dei vocem esse ratus, confestim bovum jugum, unde sibi victum quæritabat, vendidit, pretioque in egenos erogato, ceterisque omnino relictis, nudus Christum nudum sequi constituit, quo expeditius Christum ipsum lucrifaceret. Exin venia, faustaque precatione a parentibus impetrata, in eremum sanctæ Dominicæ secessit, ibique sub ipsius Fr. Hieronymi disciplina tirocinium ex more emensus, solemnia vota ex Apostolica facultate nuncupavit.

In eo vitæ statu cum se constitutum perspiceret, in quo, prout tam vehementer optaverat, ab mundi illecebris, periculisque semotus unum Deum quærere, eique uni adhærere facilius posset, vir-

tutes quasque vel ab ipso religiosæ militiæ tirocinio eo usque colendas, & complectendas curavit, ut brevi post tempore iis cumulate instructus visus sit. Quam ad rem non tria modo per hebdomadam jejunia, quibus voto sese obstrinxerat, sed quotidiana servabat, eaque adeo rigida, ut aqua sitim restingueret, numquam vero posthac vino, & tantum panis, atque herbarum semel in die comederet, quo vitam sustentaret, non quo famem pelleret. Ad hæc flagellis se quotidie cædere, iisque plerumque se cruentare; asperrimum cilicium ex palmeis foliis contextum nudo corpore gestare; sane parcum, & brevem capere somnum, numquam vero, nisi cubitans humi, dici ut rectissime posset, semper mortificationem Jesu in suo corpore circumferre. In hac porro tanta sui corporis afflictatione, ne caro unquam adversus spiritum concupisceret, BENEDICTUS, tamquam passer solitarius in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ, precationi, ac divinarum rerum commentationi omnino deditus, dies, tum etiam noctes pene totas orando traducebat; ita quidem ut identidem & sportulas intexeret, & scopas componeret, quæ sociis usui esse possent. Itaque mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, non præcepta modo vel divina, vel ecclesiastica, & singula quæque ejus sacræ Familiæ instituta plane servabat, verum etiam tum Fr. Hieronymi, ex cujus arbitrio semper pendebat, tum aliorum omnium pietate præstantium sociorum exempla attente perpendens, singulorum virtutes similius imi-

imitari totis viribus contendebat, prorsus ut omnes in sui admirationem raperet, quippe qui ceteros brevi superavit.

Hæc BENEDICTUS, quoad solitudinis incola vel in sanctæ Dominicæ eremo, quo primum secessit, vel alibi, quo hinc postea venit, vel Mancusæ in cryptis asperrimis, tum ferarum quoque incommodis obnoxiis, vel denique in altissimo, horridoque sancti Peregrini monte prope Panormum in agrestibus tuguriolis ibidem exstructis. Horum nimirum Eremitarum virtus cum paulatim innotescere cœperit, BENEDICTI tamen in primis, quippe quæ ab Deo ipso pluribus prodigiis, eo deprecante, patratis palam comprobata, ut hominum frequentiam, congressusque ipsi defugerent, ex eremo in eremum una simul pluries commigrarunt. Neque vero magnam virtutis opinionem apud exteros solum, sed etiam apud suos BENEDICTUS habebat, ut vita defuncto Fr. Hieronymo Lanza, summo omnium consensu ipse præter ceteros dignus fuerit habitus; qui in demortui Præsidis locum sufficeretur.

Post duos & viginti annos, ex quo Benedictus in eremo perfectæ, cumulatæque virtuti tantopere studebat, Pius IV. facultate, quam Julius III. Prædecessor Hieronymo Lanzae, ejusque sociis fecerat, prorsus sublata, edixit, ut pii illi viri quarto quadragesimalis cibi, & trium in hebdomada jejuniorum voto soluti, relictaque solitudine, quam ex approbatis sacris Familiis sibi quisque vellet, amplecterentur. Omnes extemplo paruerunt; & BE-

NEDICTUS, tametsi sacræ Capuccinorum Familiæ nomen dare cogitabat, tamen rem prius serio perpendendam, Deumque multa prece consulendum censuit. Qua ex re Panormum profectus, ibidem in Templo Cathedrali Deipara Virgine primum salutata, ac propitiata, interea vero dum Deum, etiam atque etiam orabat, ut quid agendum sibi esset, significaret, ter cælesti lumine fuit dignatus, quo ad sacram Minorum sancti Francisci Familiam se vocari plane intellexit. Enimvero ipse repente e vestigio ad Cœnobium sanctæ Mariæ Jesu illius ipsius & urbis, & ordinis devolavit, atque ab Cœnobitis illis supplex petiit, ut in eorum cœtum, ubi severior disciplina recens constituta, cooptaretur.

Vix dum ejus voluntate perspecta, siquidem virtus satis jam explorata, in eam sacram Familiam una voce inter Laicos adlectus fuit. Haud ita multis post diebus in Cœnobium sanctæ Annæ Julianæ ex obedientia profectus, tres ibi annos permansit, hoc etiam libentius, quo longius aberat a multitudinis strepitu, hominumque conspectu, sic ut absconditam, & solitariam vitam duceret, quæ ab pristinæ vitæ ratione parum, aut nihil etiam dissentiret. Triennio tamen exacto Panormum revocatus, ibidem reliquum omne vitæ tempus exegit.

Itaque BENEDICTUS Religiosum quidem coetum immutarat, & ex eremo in frequentem urbem venerat; semper tamen sui similis, vitæ institutum, quod jam ab initio susceperat, in reliquum etiam tempus servavit. Cibus scilicet perpetuo

tuo quadragesimalis, tum quoque ex vilioribus, potus vero aqua, ac tantum utriusque, ut sitim potius, & famem irritaret, quam sedaret. Persæpe tamen simplici pane contentus, esurialibus potissimum feriis, quæ quidem sane multæ ex sacræ Familiæ institutis, sed longe plurimæ, ac pene quotidianæ ex corporis affligendi studio. Corpus præterea flagris, iisque sæpe cruentis attritum; hispidum, quod semel induerat cilicium, numquam detractum; noctes pene totæ orando pervigilatæ; perexigua corpori quies, & plerumque humi; rudis, ac trita tunica, quæ frigus vix defenderet; multus, & operosus labor, aliæque voluntariæ corporis macerationes, quo magis magisque in servitutem redigeret.

Idem porro orationis, meditationisque studium; siquidem id unum quærere, eoque vel maxime delectari videbatur, ut Deum vel ore, vel mente precaretur. Neque enim solum statas quotidie horas precationi, ac rerum divinarum meditationi, quanta maxima posset, animi applicatione, & pietatis ardore tribuebat, prout ab teneris jam assueverat, verum etiam quidquid vel minimum temporis intervallum ad orandum vacuum ei ministeria relinquerent, in id conferebat. Maximam insuper noctis partem corporis quieti detractam, & eam fere in odeo, aut in templo ante sanctissimam Eucharistiam, vel Mariæ Virginis imaginem orando traducebat. Quin etiam tanta divini colloquii dulcedo eum ceperat, ut in precatione sane assiduus, num-

quam, neque dum etiam aliquid operis faceret, aut iter conficeret, mentem ab Deo, divinisque abduceret. Maxime vero in eorum omnium commentatione acquiescebat, quæ sane aspera, atque indigna hominum causa Christus sustinuit, ut tantæ in homines caritatis exemplo proposito, vehementius in dies divini amoris flamma conflagraret, & vicem, quam posset maximam patienti Deo repensurus, gravius etiam in suum corpus sæviret.

Neque pristinæ solitudinis, quam tantopere quæsierat, vel minimum imminutus amor, adeo ut vel ipsorum Cœnobitarum, non modo reliquorum hominum oculos, convictumque, quantum in se erat, declinaret. Silentium enim perpetuo tenere, neque cum hominibus versari, & colloqui, nisi vel caritas, vel obedientia id omnino postularet. Ceterum tunc ab inutilibus, ineptisque sermonibus semper abstinere; & si quos forte ejusmodi inferri audisset, sive alio solerter traducere, sive plane molestos sibi esse ostendens, statim abire. Nam BENEDICTUS de cælestium civium beatitudine, & gloria, vel de aliis hujusmodi divinis rebus tantummodo loquebatur; neque ea solum eloquentia, sed eo etiam pietatis ardore, ut adstantes pia quadam admiratione defixi lacrymas tenere nequaquam possent, ipse autem ardenti vultu, pectore tamen multo magis æstuanti paulatim ab sensibus abduceretur, atque in miros mentis excessus raperetur.

Quod si per vias incederet, vel ut stipem emendicaret, vel justa alia de causa, profecto numquam

quam neque caput utroque jactare, neque oculos attollere, multoque etiam minus fœminas intueri. Ab mulierum scilicet congressu, conspectuque penitus refugiebat; & si quando ex caritate, aut ex obedientia eas alloqui oporteret, numquam tamen sine arbitris, semperque oculis in terram dejectis, cum etiam brevi, gravique sermone, totoque corporis habitu adeo ad modestiam composito, ut circumstantibus admirationi esset, & exemplo. Et quidem severus ut erat pudoris custos, non solum nihil unquam neque re, neque verbo, unde puritas lædi quoquo modo posset; verum neque manus osculandas ulli tradebat, immo etiam tunica contectas semper habebat, ne denudatæ conspicerentur. Ita virginalem pudicitiæ florem ad extremum usque servavit; unoque ore Angelus in carne mortali appellabatur.

Jam tanto in Evangelicam paupertatem amore ferebatur, ut non modo nihil omnino sibi proprium habere unquam voluerit, sed iis etiam ultro, libenterque carere, quibus ex suscepto vitæ statu uti tamen potuisset. Palearum sacculus, Crux in pariete carbone delineata, una, aut altera Mariæ Virginis, & Sanctorum imago chartacea, hæc tota cellulæ supellex. Ad hæc, unam omnino tunicam semper habere, eamque ex rudioribus, tum etiam laceram, aut refectam: lucernam noctu numquam accendere; & cum vel in odeum, vel in templum oraturus, aut alio etiam alia de causa se conferret, Cœnobium in obscuro semper obire: peram, aut viaticum, dum iter ageret, numquam secum deferre, sed divinæ

 pro-

providentiæ plane confidere: nihil umquam in suos usus postulare, immo etiam munuscula sponte oblata modeste quidem, at constantissime semper recusare. Neque vero satis habebat, se huic virtuti tantopere studere, sed Cœnobitas quoque socios ad eam ipsam vehementer adhortabatur.

Ut BENEDICTUS ceterarum rerum facultate, ita etiam sua se libertate, arbitrioque abdicavit, quam qui maxime. Parum enim ei erat, perpetuo obedientiæ voto sese obstrinxisse, cum in Religiosam disciplinam fuerat profectus, tum eorum omnium, qui ei præerant, præcepta diligenter curare, nisi etiam suorum Præsidum consilia, non modo jussa prompte, alacriterque obiret, eorumque præterea animum pervestigaret, quo celerius mandata perficeret. Neque eo contentus, quæ etiam in sua erant potestate, vel ultra debitum, quamvis recte facta, hæc eadem numquam inchoabat, nisi venia jam impetrata obedientiæ meritum accederet. Cum vero frequentes cujusque conditionis, ac generis homines in Cœnobium venirent, qui BENEDICTUM affari cuperent, Cœnobii moderatores mandaverant, ut singulis quibusque petentibus ipse evocaretur. Enimvero BENEDICTUS, vix dum audito tintinnabuli pulsu, quo se advocari intelligeret, statim precatione intermissa, vel quovis alio etiam ex obedientia præscripto opere, alacer ad Cœnobii januam, sive quo opus esset, advolabat. Id autem persæpe; haud tamen unquam vel minus prompte, vel minus benigne. Tanti denique eorum, quibus

su-

suberat, voluntas ei semper erat; ut quæ plane inutilia fore perspiceret, ne ea quidem ex obedientia recusaret. Ita extremo morbo laborans medicamina quæque libenter adhibuit, prout vel Præsidis, vel Medici voluntas ferebat, quæ tamen nihil omnino profutura cælitus cognoverat. Adeo se totum ad suorum Præsidum voluntatem finxerat, nihil ut unquam sua sponte ageret, omnia vero ad eorum arbitrium, & nutum.

Accedebat porro, quod tam patiens, tam mansuetus, tam docilis, tam in omni genere æquabilis, ut nihil magis. Morbo, adversis, tum quoque Diaboli tentationibus, hominum conviciis, aut quavis alia re conflictatus, numquam tamen vel territus, vel perturbatus; sed firmo animo, & magno idem ipse semper, prorsus ut eadem perpetuo suavitas, & jucunditas, idem omnino rerum divinarum studium, quo tam vehementer flagrabat. Nimirum ad singulos quosque vitæ eventus ita paratus, ut in Deum unum intuens, omnem in eo spem ipse poneret.

Atque hic sane ingens virtutum cumulus perennis, & stabilis in eo permansit, quippe qui ceterarum omnium virtutum præstantissimæ, velut firmissimo fundamento, superadditus. Nam BENEDICTUS caritate in Deum flagrabat tanta, quantam existere oportebat in eo, qui humanis rebus penitus contemptis, nihil, nisi cælestia spectare, & contemplari avebat. Quocirca & maximo peccati odio tenebatur, & omnem quamvis levem Dei offensio-

nem devitandam tantopere curabat, ut, quantum homini permissum est, a quavis culpa remotus vitam innocentissime egisse merito, ac jure credatur. Neque aliunde sane summa illa officii religio, & assiduæ virtutis exercitationes; sermo non de aliis unquam, nisi de Deo, rebusque divinis; frequens, ac pene quotidianus Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ usus, denique diuturna ad hæc suscipienda, maxime ad divinas epulas præparatio, diuturnior tamen post susceptas gratiarum actio, simul is pietatis ardor, quo id obibat, ut ex ore etiam emicante omnium oculos in se raperet, neque semel, sed sæpe cælesti fulgore circumfusus totum collustraret templum, atque extra sensus raptus in sacro corporis, & sanguinis Christi mysterio contemplando diu immotus consisteret.

Hæc Dei caritas, quæ summa in BENEDICTO, eam in ejus animo caritatem accendebat, qua singulos quosque homines complectebatur. Optabat quidem ipse vehementissime, ut cuncti, non modo qui Religiosæ militiæ sacramento sese obstrinxerant, sed qui etiam communem vitam agebant, salutem æternam assequerentur. Itaque assiduas, fervidasque preces fundere, tum etiam corpus affligere, ut iis omnibus, qui in flagitiorum cœno hærebant, Dei opem conciliaret, qua ad bonam frugem se reciperent. Quod si qui forte ex his ad eum adirent, ubi comiter, ac benigne eos excepisset, etiam atque etiam postea hortabatur, ut abjectis vitiis salutarem vitæ rationem inirent, bono simul animo esse jubens

bens, atque ad spem salutis erigens, ne umquam desperarent. Qui vero ad BENEDICTUM confluebant, ut de conscientiæ anxietatibus, scrupulorum molestiis, Dæmonis sollicitationibus, aliisve de rebus eum consulerent, omnes ipse nullo discrimine, eademque humanitate exceptos, facili quoque animo, & æquo loquentes audiebat, immo etiam eorum se misereri ostendebat, quo facilius sibi animum aperirent. Post hæc opportuna ad res gerendas consilia, salutaria ad Satanæ petitiones prudenter effugiendas, aut animi angores depellendos remedia cuique præbebat, haud ita quidem multis, certe tamen ut singuli quique non minimum inde solatii, ac subsidii sibi comparasse perspicerent. Nec vero, si forte ægrotaret, propterea minus facilis, ac benignus; siquidem vocatus alacriter accurrebat, quandoque etiam neque ullo dum tintinnabuli sonitu accitus, ad Cœnobii ostium veniebat, tum maxime, ubi cum egenis agendum.

Neque animi tantum, sed corporis etiam molestiis, quam posset, opem BENEDICTUS ferre studebat. Etenim cum inclusos carcere, tum vero præcipue morbo laborantes vel in Cœnobio, vel extra, vel etiam in publicis valetudinariis frequenter invisebat, maxime si de eorum malis, angoribusque certior factus esset. Ad hoc ministeria quæque, & caritatis officia iis exhibere, aliquid etiam in subsidium deferre, eorum commiserari miserias, simul & consolari, & cohortari, ut mala patienter perferrent Christi Domini objecto exemplo. Excitabat

etiam

etiam, ut omnem in Deo, Maria Virgine, Cælitibusque patronis spem ponerent; denique eo pietatis ardore preces ad Deum pro iis ipsis fundebat, ut haud raro Deus ipse plane ostenderit ejus votis annuisse.

Idem ejus animus, idemque studium in hospites, Cœnobitas potissimum socios. Si qui enim in Cœnobium advenirent, his primus aderat BENEDICTUS, comiterque exceptis pedes submissis genibus abluere, & deosculari, tum calceamenta, vestesque e sordibus purgare, postremo ignem, cibum, & si quæ alia opus essent, ultro ministrare.

Parentum tamen virtutis imitator egregius, longe maxima sui in egenos amoris argumenta præbuit cum ante, tum post Religiosæ vitæ disciplinam initam, prout hujus ratio ferebat. Eorum enim miseriis adeo commovebatur, numquam ut viscera sua clauderet ab iis, neque vel unum ex his inopem omnino abire pateretur. De communi mensa, quæ sane parca, vel minimam sibi partem sumebat, nisi tamen si arido tantum pane vesceretur, potiorem vero egenis ad Cœnobii fores confluentibus præbebat; ut fieret refectio pauperis abstinentia jejunantis. Cum autem Panormitano Cœnobio præerat, nihil urgebat magis, quam ut janitor ne averteret a quoquam faciem suam, spondens divinam providentiam nemini unquam defuturam, qui misericors, & benignus esset in egenos.

Ad hanc porro vitæ integritatem, consummatamque virtutem cælestia dona accesserunt, quibus

Deus

Deus BENEDICTUM cumulavit. Erat quidem certe ipse optimarum artium, ac disciplinarum omnino rudis, ut pote qui nec primas litteras nosset; attamen tam recte de fidei mysteriis, iisque etiam abstrusioribus disserebat, tam apte difficillima sacrorum Codicum loca interpretabatur, tanta doctrinæ, atque eruditionis copia implexas Theologicas quæstiones explanabat, aliisque vel sacrarum Litterarum, vel sanctorum Patrum sententiis tam apposite confirmabat, ea præterea & dicendi copia, & verborum proprietate hæc eadem eloquebatur, ut vel ipsi eruditissimi, ac doctissimi viri satis mirari haud possent illiterati ceteroquin hominis sapientiam, eamque non aliunde, quam divinitus inditam una voce prædicarent. Proinde haud raro post Matutinas sacrorum Bibliorum loca, quæ in iis recitanda occurrerant, tam scite explicabat, ut Cœnobitæ reliqui admirantes audirent, neque eum esse censerent, sed Spiritum sanctum, qui per eum loqueretur.

Neque vero aut futura, aut abdita cordis eidem ipsi ignota, & occulta. Nam plurima & penitus perspiciebat, & prænuntiabat, eventu plane comprobata, præter alia, se etiam brevi interiturum duplicem post morbum, exiguumque in suum funus populi concursum futurum, prout re ipsa accidit.

Quod sopitis sensibus in divina totus abreptus, quod cælesti etiam luce refulgens, jam commemoravimus. Id autem sæpe, tum maxime, cum ante aram orabat, ubi sanctissima Eucharistia, aut Ma-

riæ

riæ Virginis imago , sive cum de Deo, rebusque divinis vel loquebatur ipse, vel loquentes alios audiebat, plerumque tamen cum cælesti pane suscepto , familiarius , atque intimius cum Deo colloquebatur .

Postremo prodigiorum virtute jam tum enituit BENEDICTUS cum eremum adhuc incolebat; multo tamen magis cum Laicus de sacra Familia severioris sancti Francisci disciplinæ. Nam plurimi, ut eos ipse vel Crucis signo munierat, vel oleo lampadis ante Mariæ Virginis aram accensæ inunxerat, vel pro iis Deo supplicaverat , statim ab gravissimis, desperatisque morbis emergebant . Neque etiam ita raro in egentium subsidium cibos augebat, & in suorum Cœnobitarum commodum annonam prodigialiter providebat, ac duplicabat.

Qui igitur tam perfectus omni virtute, ac tot gratiarum charismatis ab Deo ornatus, nil mirum, si probatissimus omnibus, maximoque etiam in honore apud finitimos populos jam tum esset, dum solitariam vitam ageret, sic ut ad hominum, qui eum conveniebant, frequentiam declinandam de eremo in eremum demigrarit. Postea vero quam in hominum oculos, conspectumque venit , tum latius etiam ejus sanctitatis opinio increbuit. Neque enim homines tantum de populo, iique Panormitani, sed aliunde etiam, & cujusque ordinis viri, quamvis vel generis nobilitate , vel honoris amplitudine , vel doctrinæ laude præstantes, sæpe eum coram, si possent, si minus per epistolas adibant, ut ejus

opem

opem, precesque implorarent, aut in arduis, difficillimisque negotiis consilia exquirerent. Quin etiam Cœnobiorum Præsides cum Religiosæ militiæ sacramento jam devinctos, tum in primis tirones ad eum mittebant, ut ab Dæmonis vexationibus, aut animi fluctuationibus, quibus premebantur, ejus monitis, atque adhortationibus tandem liberati, irent de virtute in virtutem, & in qua vocati erant vocatione stabiles permanerent. Nempe apud omnes constabat, eum divino afflari Spiritu; quod cum in dies percrebuisset, ejus nominis celebritas non diu intra Siciliæ fines se continuit, sed longius pervagata Neapolim, Romam, Hispanias, & Lusitaniam quoque pervasit.

Interea tamen dum omnes tam optime de BENEDICTO, ipse, cui nihil potius, quam ut Christi ducis vestigia persequeretur, qui mitis, & humilis cordę, demississime de se sentiebat. Quambobrem omnium mortalium vel minimum se ex animo putabat, peccatorem autem vel maximum prædicabat, multoque magis idoneas quasque opportunitates captare studebat, quibus tum verbo, tum re seipsum despiceret, aliisque despiciendum præberet. Cum vero magnos ad se concursus fieri videret, honoris ut erat omnino impatiens, & Evangelicæ humilitatis quam maxime tenax, vehementer id quidem dolebat, atque ut, quantum in se erat, subterfugeret, dum ad ægrotos, aut ad alia caritatis opera ex obedientia iret, remotiores semper, minusque frequentes vias insistebat. Ita Agrigentum ad provincialem

Con-

Conventum missus, cum urbem totam ejus sanctitatis fama commotam esse accepisset, ut multitudinis occursum eluderet, per secretiorem viam in Cœnobium venit. Ceterum si quando honoris significationes, & hominum plausus vitare nullo modo posset, se magis magisque demittendi occasionem inde arripiebat, tum etiam qua verbis, qua gestu, qua totius corporis habitu satis aperte ostendebat, quam moleste ea ferret. At vero nihil ei tam gratum, tamque jucundum, quam ut omnia, & viliora quidem, atque abjectiora Cœnobii ministeria præstaret. Vidisses alacrem, promptumque cellas, & claustra verrere, lances, patinasque tergere, lintea lavare, ægrotantibus præsto esse, & assidue in culina ministrare, a quibus obeundis ne tum quidem divelli passus est, cum, ut mox dicetur, Panormitani Cœnobii moderator fuit constitutus.

Tanti nimirum BENEDICTI virtutes, singularem in primis prudentiam faciebant omnes, & præter ceteros Siculæ Minorum Provinciæ Præpositi, ut ex tot aliis cum doctrina, tum pietate præstantibus viris eum unum seligendum duxerint, quem Panormitano Cœnobio præficerent, ubi rigidior disciplina recens instituta magis magisque erat confirmanda. Excusavit quidem ipse litterarum ignorantiam; infimam sui conditionem, quæque alia humilis, atque abjecta de se opinio docuit, ut honoris gradum defugeret. At nihil profecit; & cum obedientiæ præceptum accessisset, nil egit aliud, quam ut tacitus, promptusque pareret. Tum enimvero, ut suorum

Præ-

Præsidum votis responderet, nihil omnino prætermisit, quo rectius Cœnobitas sibi commendatos, & concreditos ad severiorem disciplinam deduceret. Proinde ceteris omnibus præibat ipse exemplo, & humiliora quæque Cœnobii ministeria unus præter ceteros obibat; tum vero cunctis præsto erat, ut eorum sive animi, sive corporis rationibus provideret; Atque hæc omnia ea lenitate, & sermonis suavitate in culpis etiam pro tempore, & re vindicandis præstanda curabat, ut parens potius, quam Præses omnium animos sibi statim devinciret, ac nemo unus ei adversari, aut ejus monita vel minimum contemnere auderet. Ex quo factum plane est, ut tanto sub duce, ac magistro brevi post tempore in eodem Cœnobio ea severior religiose vivendi disciplina viguerit, quam universæ illius sacræ Familiæ Præsides exoptaverant.

Triennio tamen exacto ex Cœnobii Præfectura ejus solitudini omnino restitutus, vehementius etiam per plures annos virtutes quasque colere, atque in iis progredi studuit, quoad de proximo ex hac vita excessu certior cælitus factus, mense Februario anno millesimo quingentesimo octogesimo nono gravi morbo correptus fuit, ut continenti febre laboraret. Brevi quidem convaluit; & cum prænuntiasset se neque diu recuperata valetudine usurum, IV. Nonas Martias in morbum recidit. Hujus autem gravissimi morbi vim, molestiasque animo non æquo solum, sed & gaudenti, & libenti per triginta dies subiit, simul & nihil unquam suapte sponte postu-

stulavit, & nihil ex iis, quæ sumenda porrigebantur, recusavit. Neque vero per id temporis morem orandi, & cælestia meditandi vel minimum intermisit; sed quod sanus tantopere fecerat, id ipsum jam moribundus, prorsus ut vel precari, vel divina, & quidem multo magis acerbissimos Christi cruciatus contemplari pro viribus eniteretur. Ab virtutum quoque agitatione ne tum quidem conquievit, humilitatis tamen documenta præcipue dedit, tum maxime, cum Ecclesiæ Sacramentis muniri, potissimeque ubi cælesti pane refici exoptavit. Tunc enim fune de collo suspenso, cum veniam ab singulis quibusque Cœnobitis sociis supplex petiisset, lacrymas deinde profundens, & cum fidei, tum caritatis ardorem, quem animo conceperat, verbis etiam efferens, sacrum Christi corpus, ceu viaticum suscepit. Quo quidem suscepto extra sensus abreptus & oblatas divinitus species excepit, & miro vultus splendore emicuit, & suavissimum odorem afflavit. Ex hoc mentis excessu cum se recepisset, manibus in pectore ad Crucis speciem compositis, oculis vero in cælum & sublatis, & defixis, interea dum sæpius suavissima Jesu, & Mariæ nomina, eaque Psalmographi verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, pie admodum usurparet, efflavit animam in osculo Domini, ad ejus sinum, complexumque post mortem advolaturus, quem unum in omni vita tantopere dilexerat. Decessit pridie Nonas Apriles, Feria tertia solemnium Paschalium, annos natus sexaginta tres, quorum

duos

duos & viginti in eremo, totidemque in severiore sancti Francisci disciplina sanctissime traduxerat.

Quamquam vero pauci, prout ipse jam prædixerat, in ejus funus venerint; postridie tamen illius diei, cum obitus fama in vulgus emanasset, magni cujusque ætatis, & conditionis hominum concursus in templum facti, tantoque iidem cum pietatis sensu, ut & sacras quisque Reliquias sibi vellet habere, & fieri vix potuerit, quin ejus corpus effoderetur. Beneficia porro, ac prodigia cum ab Deo, BENEDICTO suffragante, plurimi impetrarent, quæ alte jam omnium animis, dum adhuc viveret, de ejus sanctitate opinio insederat, ea post obitum quotidie magis invaluit, adeo ut longe, lateque diffusa non Europam modo universam, sed disjunctissimas quoque terras, & vel ipsam Americam peragraverit.

Qua ex re ab fel. rec. Cardinali Matthæio sacræ Minorum sancti Francisci Familiæ Patrono venia data, ut ejus corpus e terra erutum in Sacrario reponeretur, prout Nonis Majis anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo factum est. Mirum tunc jure visum, corpus idem, quod nullis neque aromatis conditum, neque balsamis medicatum in communi; humidoque aliorum Cœnobitarum sepulcro per triennium jacuerat, tamen integrum, incorruptumque adhuc perstare, & suavissimum præterea odorem spirare, quem diu etiam postea spirasse compertum est. Duobus vero post annis idem ipse Cardinalis Matthæius Archiepiscopo Panormitano mandavit, ut BENEDICTI facta, atque miracula

 legi-

legitime conquisita perscribenda curaret, quod quidem ad annum perfectum est.

At BENEDICTI veneratio, & cultus cum in dies cresceret, ejusque sanctimoniam vel ipse Deus aliis, atque aliis prodigiis testari videretur, re ad Apostolicam Sedem delata pariter cum supplicibus precibus Hispaniarum, & utriusque Siciliæ Regis Philippi II., tum etiam Cardinalis Archiepiscopi, Senatus, Cleri, Populique universi Panormitani, sacrorum Rituum Congregatio concessit, ut sacræ ipsius exuviæ in templum transferrentur, atque in honorifico loculo e terra elato conderentur, quod re præstitit fel. rec. Cardinalis Joannettinus ab Auria Archiepiscopus tunc Panormitanus V. Nonas Octobres anno millesimo sexcentesimo decimo primo.

Exinde autem votivæ tabellæ, aliaque dona acceptorum beneficiorum testes ejus sepulcro suspensa; tum imagines, & signa altaribus etiam imposita, aliæque quam plurimæ publici honoris significationes; denique omnium vota, ut rite in Sanctorum virorum album referretur. Quam ad rem anno millesimo sexcentesimo vigesimo ab eodem Archiepiscopo Panormitano altera instituta conquisitio eorum, quæ vel salubriter gesta, vel patrata divinitus ab eo fuerant, idque biennio peractum. Postea vero ex Apostolica auctoritate duæ publicæ tabulæ confectæ, in quas ea omnia itidem fuerunt relata, unde ejus & virtutes, & miracula rite constarent, quarum quidem alteræ Panormi anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, alteræ autem anno proximo in oppido sancti Philadelphii.

Hoc

(XXV.)

Hoc interim spatio s. m. Urbanus VIII. novas hisce super causis leges tulit, quarum ex sinistra interpretatione factum est, ut per plures annos intermissa hæc causa fuerit. Ubi autem intellectum fuit, commemoratas leges nihil omnino hanc causam attingere, tum demum eam resumendi facultas data VIII. Kalendas Septembres anno millesimo septingentesimo decimo tertio, annuente paulo post, VIII. scilicet Idus proximas, s. m. Clemente XI. Itaque Apostolicis primum absolutis Actis tum Panormi, tum in Urbe de cultu ipsi adhibito, maximeque in Hispaniis, in Lusitania, atque in utraque America; deinde vero re semel, atque iterum in sacrorum Rituum Congregatione expensa, V. tandem Idus Majas anno millesimo septingentesimo quadragesimó tertio judicium prodiit: *Constare de cultu publico B. BENEDICTO præstito, sive de casu excepto a decretis s. m. Urbani PP. VIII.*, cui quidem judicio s.m. Benedictus XIV. proximis Idibus annuit.

Huc accessit, quod idem ipse Pontifex Maximus paulo post, pridie scilicet Kalendas Sextiles potestatem fecerit omnibus utriusque sexus, qui ad Horas canonicas tenentur tum de sacra Minorum sancti Francisci Familia, tum etiam in Diœcesi Panormitana, atque in oppido sancti Philadelphii, recitandi quotannis ipsius Beati Officium, & Missam de communi Confessoris non Pontificis, oratione tamen propria jam approbata. Porro autem s. m. Clemens XIII. Lectiones secundi nocturni proprias & comprobavit, & iis omnibus recitandas indulsit,

qui-

quibus B. BENEDICTI Officium recitandi facultas jam data, prout ex hujus Pontificis Maximi decreto lato XI. Kalendas Martias anno millesimo septingentesimo sexagesimo tertio.

Hisce omnibus ad normam generalium decretorum jam peractis, quo latius etiam B. BENEDICTI cultus pateret, illud agi cœptum est, ut ejus in Sanctorum virorum numerum adscriptio ex provida Romanæ Ecclesiæ disciplina fieret. Quocirca perfectum, ut Idibus Martiis anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, eodem s. m. Clemente XIII. benigne postridie annuente, publicæ tabulæ cum ex Ordinaria, tum ex Apostolica auctoritate digestæ, in quas ejus & sanctissime gesta, & edita divinitus fuerant relata, hæ, inquam, omnes ratæ, validæque haberentur. Postea vero cum s. m. Clemens XIV. Idibus Majis anno millesimo septingentesimo septuagesimo tertio facultatem dedisset, ut ejus virtutum disquisitio in ordinaria sacrorum Rituum Congregatione institueretur, prout alias aliis in ejusmodi causis factum esse constabat, re mature perpensa, s. m. Pius VI. ejusdem sacrorum Rituum Congregationis judicium, quo singulares, ac plane heroicas B. BENEDICTI virtutes extitisse jam pronuntiaverat, suo Apostolico decreto confirmavit XVII. Kalendas Apriles anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto.

Post hæc quæstio de miraculis, nempe de iis, quæ post patrata erant, quam B. BENEDICTUS ex sacrorum Rituum Congregationis permissu cultu pu-

publice fuerat honestatus . Ex his autem quatuor tantummodo sapientissimorum Patrum judicio commissa, quorum primum : Franciscus Centinius, & Capitius novem annorum puer ab oppido sancti Philadelphii ictu glandis ab ignea ballista explosæ tam grave vulnus in gutture acceperat, ut aspera arteria perforata, vel potius penitus discissa, vulneris ipsius hiatu spiritum duceret. Proinde nulla salutis spes affulgebat, eo etiam magis, quod morbo quæsita remedia nihil omnino profuerant. Ubi tamen Cænobii Minorum sancti Francisci Præses sacra B. BENEDICTI Reliquia, quam parentis rogatu domum attulerat, ægrotanti puero bene precatus, eam saucio gutturi admovit, statim vulneri obducta cicatrix, atque integra valetudo restituta.

Alterum vero : Philippus Scaglionius ab oppido sancti Philadelphii ex ortu ad annum jam decimum quartum ætatis ea pedis utriusque infirmitate laborabat, ut neque per se ipse staret, neque loco moveretur, multoque minus pedibus ire ullo modo posset. At vix dum B. BENEDICTI opem imploraverat, ut eo suffragatore innato morbo levaretur, cum Cœnobitam de sacra sancti Francisci Familia sibi adstantem conspexit, simul suadentem, ut surgeret, ac graderetur, ut pote jam sanus. Tum ipse B. BENEDICTUM, quem invocaverat, eum esse ratus, dicto audiens sese erexit, & exinde expedite semper ambulavit.

His igitur prodigiis pariter cum aliis duobus in Comitiis, ut moris est, accurate perpensis, postre-

stremo in iis, quæ Patribus universis convocatis habita sunt coram s. m. Pio VI. pridie Nonas Apriles anno millesimo septingentesimo nonagesimo, Pontifex Maximus duo priora tantum, quæ commemoravimus, (neque enim res plura postulabat,) sua auctoritate in miraculorum numero reponenda esse comprobavit. Deinde vero cum III. Idus Quinctiles Patres cuncti eidem Pontifici Maximo summo consensu affirmarint, B. BENEDICTUM Sanctis viris adscribi *tuto* posse, idem ipse Pontifex, pluribus jam ante precibus ad Deum fusis, sanctique Spiritus ope implorata, XVIII. Kalendas Septembres B. BENEDICTUM in Sanctorum album referri posse publice declaravit. Hoc autem ut tandem perficiatur, cum singuli quique Siculorum civium ordines, tum maxime sacra Minorum sancti Francisci Familia universa omnibus & votis exoptat, & precibus obsecrat.

F I N I S